

longum foret. De iis aliqua dicam, quos meae informationi & hospitio credidisti. Primus horum fuit Vir Reverendus maxime, Amplissimus & Excellentissimus Dn. *HECTOR GOTTFRI-
DVS MASIVS*, iam Serenissimi & Potentissimi Regis Daniae Con-
cionator Aulicus, & in Vniversitate Hafniensi Professor Theolo-
gus celeberrimus. Hunc ante annos octo, & quod excurrit, primum Argentinam misisti, & vt meo vteretur hospitio & mensa, voluisti. Quam gratus hic mihi hospes, quantum hic Academiae nostrae Argentinensis ornamentum fuerit, non attinet hic loci prolixè commemorare, cum publicis id speciminibus satis superque probatum dederit, & encomia Doctorum Academicorum habeat indubia. Huic pium est a DEO opt. max. precari multos sanosque annos, vt in gloriam ipsius divinam diutissime egregiis & singularibus diuinitus concessis donis Ecclesiae CHRISTI purae atque Iuuentuti studiosae, in primis sacro Theologiae studio consecratae, plurimum prodesse queat. Tu vero, *Vir Excellentissime*, quantum ad gloriam DEI & Ecclesiae CHRISTI cooperatus es? qui egregium ingenium explorasti, elegisti, fovisti, donec in eum evasit virum, de quo nunc Tibi & sibi Ecclesia & Academica Iuventus gratulatur. Post huius absoluta studia & discessum, ante annos quatuor ad nostram, quam haecenus amasti, Argentoratensem Vniversitatem iterum misisti tria eximia ingenia, studio Theologico dicata, egregios Iuvenes, meoque similiter hospitio & mensae commendasti. Hi sunt IOANNES GABRIEL SANDHAGEN, MICHAEL VERMEHREN & ALBERTVS ELERS, in sequentibus valde a SCHMIDIO laudati. Quam commemorabilem Praefationem respiciens, GLOXINIVM hoc insignivit elogio ENOCH. SVANTENIVS (**). *Praecipue idem* (quod nimirum religiosus & sincerus solidae ac illibatae pietatis cultor extiterit, cuius ergo in antecedentibus fuerat laudatus) *perhonorifice confirmabit provida & circumspècta commemo-*

L 3

rabilis

(**) Memor. ANT. HENR. GLOXINII, Lubec. 1690, d. 30, Ian. edit.